

DE
PATRIA DECRETALIU PSEUDOISIDORIANARUM.

COMMENTATIO

QUAM AUCTORITATE

ILLUSTRIS JURISCONSULTORUM ORDINIS

IN

ACADEMIA VRATISLAVIENSI

PRO LOCO

PROFESSORIS EXTRAORDINARI

RITE OBTINENDO

D. XXIX M. NOVEMBR. A. MDCCCXLIII

PUBLICICE DEFENDET

GUILLMUS ARMINIUS WASSERSCHLEBEN

J. U. D. ET P. P. EXTRAORD. DES.

SOCIO ADSUMPTO

ADOLPHO WUTTKE, THEOL. EVANG. STUD.

CONTRA ADVERSARIOS

E. GUTSCH, JUR. UTR. STUD.

P. FÖRSTER, PHIL. STUD.



VRATISLAVIE,
TYPIS LEOPOLDI FREUND.

CORRIGENDA.

- Pag. 4 lin. 19 pro: Hispana legas: Quesnelliana.
- 5 not. †) pro: l. l. leg.: De Pseudo-Isidoriana canonum collectione.
- 6 lin. 7 Blasci nomen delendum.
- 9 lin. 2 pro: Auctoribus leg.: Auctoritate.
- 12 lin. 3 legend.: Ben. III. 122.



Pseudoisidorianae, quae dicuntur, decretales a permagno virorum doctorum numero omni ex parte perlustratae sunt, earumque fontes, patria, auctor, aetas tam accurate et subtiliter indagata, vix ut novi quidquam afferri posse videatur, nisi forte continget, ut codices nondum collati detegantur, atque ea inprimis sententia, qua Benedictus Levita auctor vel socius fraudis, hujusque patria Germania, et quidem Moguntia ponitur, ex Balleriniorum*), Knustii**), Richteri***), aliorum argumentis ita firmata videbatur et stabilita, ut nullum fere adhuc restaret dubium. Eichhornius tamen nuper, vir de juris Germanici historia et de jure canonico insigniter meritis, commentationem †) edidit, in qua collectionis Hispanae genuinae, quam vulgo Isidorianam dicunt, originem indagat et fata enarrat, simulque, ubi agit de ratione, quae intercedat inter illam et Pseudoisidorianam, et de hujus patria, aetate, auctore, eandem defendere studet sententiam, quam ante undecim jam annos in opere proposuerat, quod inscribitur: Grundsätze des Kirchenrechts et cet. Götting. 1831. Tom. I. Quamobrem quum et nomen Eichhornii sit illustrissimum summaque ejus in literis auctoritas, et res ipsa admodum gravis et accurata quaestione dignissima, haud alienum mihi videtur esse ab hac scribendi opportunitate, investigare quid tribuendum sit Eichhornii argumentis, quibus vulgarem de Pseudoisidorianis decretalibus opinionem impugnare studuit, simulque subjicere ea, quae hac de re ipse sentiam.

Ac summa quidem sententiae Eichhornii haec est (l. l. p. 209.):

„Die erdichteten Dekretalen sind zwar im fränkischen Reiche mit der spanischen Sammlung in Verbindung gesetzt worden, aber ihr erster Ursprung gehört in's achte Jahrhundert und nach Rom; im fränkischen Reiche sind um die Mitte des

*) De antiquis — collectionibus et collectoribus canonum ad Gratianum usque tractatus P. III. c. 6. 7. 8. (Opp. Leon. M. Tom. III. p. CXXV sqq.)

**) De fontibus et consilio Ps. Isidorianae collectionis, Götting. 1832.

***) Lehrbuch des kathol. u. evangel. Kirchenrechts, Leipz. 1841. §. 69. 70.

†) Zeitschrift für geschichtliche Rechtswissenschaft. B. XI. p. 119 sqq.

neunten Jahrhunderts neue Verfälschungen, bei welchen die ältern schon vorhandenen zum Muster dienten, vorgenommen worden, und durch diese entstand die Pseudo-Isidorische Sammlung, für deren Anordner und für den Verfasser der neu hinzugekommenen Verfälschungen ohne Zweifel ein fränkischer Geistlicher zu halten ist.“

Jam vero accuratius examinemus, quibus Eichhornius argumentis suam de patria decretalium probare conetur sententiam; quae enim de aetate et auctore disputavit, ea, si Deo placet, mox alio loco studio simili persequemur.

Ac primum quidem Romae ortas esse decretales Eichhornius in commentatione illa sumit potius et affirmat, quam probat, ratus fortasse, hanc rem jam fere satis demonstratam esse in altero illo libro, quem supra indicavi; ejus igitur libri simul a nobis ratio haberi debet, quamquam nonnulla, quae ibi statuit, nunc improbare videtur. Veluti illud ipsum primum argumentum, quod librum pontificalem, ex quo permulta hausit Pseudoisidorus, extra Italiam illo tempore cognitum fuisse negabat, tacitus nunc omittit. Et vero, postquam Knustius frequentem libri pontificalis in Germania et Francia illo tempore usum fuisse luculentissime demonstravit, manifestum est, nullam jam vim argumento illi tribui posse. Videamus igitur, num in ceteris, quibus suam Eichhornius probatum ivit sententiam, melius ei res cesserit!

Afferuntur ab eo nonnullae Romanorum Pontificum epistolae, in quibus aut ipsae suppositivae istae decretales aliquo modo significantur, aut sententiae quaedam et formulae reperiuntur, quae alium fontem habere posse non videntur. At vero, etiamsi parumper concederemus, esse illa ipsarum Pseudoisidorianarum epistolarum vestigia, tamen de origine earum ita nihil aliud demonstrari posse manifestum est, nisi hoc, posteriore certe tempore Romae eas innotuisse. Sed jam paulo accuratius perscrutemur locos illos, quos ex genuinis decretalibus Eichhornius citavit.

Memoratu hic digna sunt imprimis documenta nonnulla Nicolai I. Papae, quae pertinent ad causam Rothadi Suessionensis episcopi, qui quum anno 861 in synodo provinciali ab Hincmaro Rhemensi et episcopis comprovincialibus suspensus esset Romanque appellavisset, nihilominus ab iisdem praetextibus, appellationi reum renunciasse ipsosque iudices sibi elegisse, anno 863 in concilio Suessionensi depositus est. Secundum genuinos canones et decretales, vigentemque illius temporis ecclesiae disciplinam concilio provinciali jus competeat suspendendi deponendique episcopum, huic autem licebat, Romanum appellare Pontificem. In hac igitur causa simul et suspensio et appellatio legibus omnino erat concessa, minime autem depo-

sitio facta illa, neglecto prorsus ab Hincmaro et episcopis ad Papam recursum. Neque vero illud tantum Nicolaus vituperat in sermone, quem habuit in concilio Romano anno 865 *), sed hoc imprimis, quod ipso nesciente neque interveniente Rothadum illi deposuissent; addit enim: „quamvis et ipse (Rothadus) sedem apostolicam si nullatenus appellasset, contra tot tamen et tanta decretalia se efferre statuta, et episcopum inconsulte deponere, sicut Vos bene nostis, non debuerunt,“ et versus finem: „Quamquam etsi nunquam provocasset, nunquam omnino praeter nostram scientiam deponi debuerit, quia sacra statuta et veneranda decreta episcoporum causas, utpote majora negotia, nostrae definiendas censurae mandarunt *).“ Atque haec quidem prorsus Pseudoisidorum redolent ejusque figmenta Nicolao cognita fuisse probant, etiamsi tot tantaque decretalia, venerandaque decreta idem non citasset ***). Quodsi forte aliquis haec quamvis manifesta admittere non velit vestigia, alii insuper ab Eichhornio afferuntur loci, in quibus de iisdem Nicolaus judicat decretalibus. In epistola ad universos episcopos Galliae (Mansi XV. col. 694.) reprehendit illos, quod tot tantaque decretalia et diversorum sedis apostolicae praesulum decreta neglexissent, et pergit: „Absit enim, ut cujuscunque — vel decretalia constituta vel de ecclesiastica disciplina quaelibet exposita debito cultu — non amplectamur opuscula, quae dumtaxat et antiquitus sancta Romana ecclesia conservans, nobis quoque custodienda mandavit, et penes se in suis archivis et vetustis rite monumentis recondita veneratur.“ Sive errorem hunc Papae fuisse statuimus, sive mendacium, semper ex hoc loco apparet, cognovisse eum decretales. Paulo post nonnullorum episcoporum Gallicanorum Nicolaus perstringit sententiam, ex qua decretales illae ideo non sint admittendae, quia in Codice canonum adscriptae non habeantur. Miratur Papa, quod hac in re refragentur illi antiquis iisdem decretis, quibus jam antea, ubi suae intentioni suffragari ea conspexerint, ad suorum augmentum privilegiorum usi sint, atque demonstrare conatur, Pontificum Romanorum epistolae et decreta omnia esse custodienda, etiamsi in ca-

*) Mansi. XV. col. 686.

**) Cf. Nicol. ep. ad Carol. calv. ap. Mans. XV. col. 688.

***) Peculiare est enim decretalibus Pseudoisid., Papis solis tribuere jus deponendi episcopum, ita, ut inconsultis ipsis synodo provinciali nullo unquam modo liceret in iudicium adducere episcopum vel condemnare, quamquam secundum genuinos canones (Sardicenses imprimis) causae episcopales ad illam synodum pertinebant, et interposita demum appellatione ad Papam perveniebant. Usque ad finem saeculi IX in Francorum regno deponendi episcopum jus sine dubio erat penes synodum provincialem, permultis confirmatum canonibus. Cf. Syn. Matiscon. ann. 585. c. 9., Cabilon. ann. 664. c. 20, Francofurt. ann. 794. c. 10. et cet.

nonum codices non sint recepta, quod quidem ob multitudinem eorum fieri non posse. Quae Eichhornius disputat (p. 181.) de Codice canonum, quem Nicolaus citat l. l., ea mihi non probantur. Putat enim, non certam quandam collectionem vel codicem ab ecclesia Francorum receptum, quum te tali receptione nihil constet, sed omnes canonum collectiones, quibus usa sit ecclesia, ab episcopis illis intellectas et significatas esse, ita ut codicis canonum nomen sensu colectivo sit accipiendum. At, ut praetermittam, talem significationem nimis singularem esse ac vix verisimilem, nihil obstare mihi videtur, quominus, quidquid opponat Eichhornius, Hadriano-Dionysianam h. l. ab episcopis et Papa citatam esse putem collectionem. Scimus enim, Hadrianum Papam Carolo M. huiusmodi dedisse codicem. Sed Eichhornius ullum exstare negat vestigium, quo indicetur, majorem auctoritatem illum esse in Francia nactum, quam reliquas canonum collectiones. Contrarium vero contendere ausim, his maxime motus argumentis. Perlustranti mihi regum Francorum capitularia, ante capitulare ecclesiasticum anni 789 nullum collectionis Dionysianae adhibitae occurrit vestigium. In capitulari Vernensi ann. 755 canones nonnulli Chalcidonenses citantur et unus Carthaginiensis, isque numero suo appellatus nonus, qui quidem canones e Quesnelliana *) vel alia ejus generis desumpti sunt collectione, neque vero ex Dionysiana, id quod imprimis numero illo Carthaginiensis canonis indicatur. In Hispana enim collectione canon hic nonus est concilii tertii Carthag., in Dionys. autem inter Carthaginienses decimus quintus. Capitulari Mantuano anni 781 subjiciuntur (in Cod. Sancti Pauli in Karinth.) capitula excerpta ex Gallicana quadam collectione, atque inter ipsa nonnulli canones concilii ejus, quod vulgo dicitur Carthaginiense quartum, idque Dionysio prorsus erat incognitum, neque vero id pertinere ad ecclesiam Africanam satis constat, ac videtur potius ad Hispanicam esse referendum**). Primum autem Dionysianam collectionem, et quidem eam, quae sub Hadriano-Dionysianae***) nomine circumfertur, adhibitam videmus in longa illa capitulum serie, quae est in capitulari ecclesiastico ann. 789. cap. 1—59. Atque hanc quidem per longum tempus solam in capitularibus videmus allegatam: cf. statut. Rhisphac. et Frising. ann. 799., Capit. general. Aquens. ann. 802. (Pertz, p. 108. 109.), Aquisgran. ann. 817. (Pertz, p. 208. 209.), Conc. Mogunt. ann. 813. c. 4., Rhemens. ejusd. anni, c. 26. 28. et cetera. Verum enim vero, illam ab ecclesia

*) Cf. c. 12. et Mansi Tom. VII. col. 398.

***) Cf. edition. meam Reginonis, p. 379. not. m) ad c. 37. App. III.

****) Hoc quidem evidenter ratio demonstrat, qua canones Carthaginienses et Africani disjunguntur et citantur.

Francica non solum adhibitam, sed re vera etiam consensu publico esse receptam, ex duobus mihi probatur locis. Annales Laureshemenses *) ad annum 802 narrant, universalem hoc anno Aquis habitam esse synodum: „et ibi fecit (Carolus) episcopos cum presbyteris seu diaconibus relegi universos canones, quos sancta synodus recepit, et decreta pontificum et pleniter jussit eos tradi coram omnibus episcopis, presbyteris et diaconibus.“ Non dubito, quin his verbis Dionysiana significetur collectio, praesertim, quum in fine actorum hujus synodi a Pertzio publicatorum (Monum. T. III. p. 108. 109.) nonnulla inveniamus excerpta ex illa ducta. Pleniores sane jam episcopis et presbyteris in tali codice tradebantur canones et decreta, quam e. g. inerant in capitulari ecclesiastico anni 789. Hac ratione Hadriano-Dionysiana collectio inde ab anno 802 publice videtur recepta esse in ecclesia Francica. Hincmarus Rhemensis denique in opusculo adversus Hincmarum Laudunensem c. 43., codices, quos ab apostolica sede majores accepissent sequendos ita describit, ut nullum adhuc restet dubium, quin Dionysiani illi fuerint **). Sed haec tanquam praeteriens hoc loco disputanda esse judicavi adversus Eichhornii de illo Codice canonum sententiam. Redeo illuc, unde digressus sum.

Quae supra ex Nicolai I. decretalibus allata sunt, satis probant, ipsi Papae Pseudoisidorianas merces fuisse cognitatas. Eichhornius praeterea citat epistolam Weni- lonis Senonensis, vel potius Lupi Ferrariensis ad eundem missam Nicolaum, in qua ille cum episcopis Gallicanis petit a Papa, ut Melchiadis integra statuta, sicut Romae habeantur, eis dirigere dignetur. Quum autem respondens Papa ne uno quidem verbo hujus rei mentionem faciat, argumentum Eichhornius ad sententiam suam comprobendam ex his Papae literis petere non potest, quamquam verisimile sane est, Nicolaum h. l. prudenter et callide rem sibi cognitam silentio praeterivisse ***). Sed alii, veluti Theinerus †), citant praeterea decretalem quandam Gregorii IV. ann. 833, in qua locutio et sententia quaedam Pseudoisidoriana reperiatur. Quamquam autem negari non potest, verba illa Gregorii: „cum auctoritate canonum et praedecessorum nostrorum decretis sancitum sit, ut episcopus accusatus, si voluerit,

*) Vide etiam Annal. Moissacens. ad ann. 802. (Pertz. Monum. Tom. I. p. 39. 306.)

***) Opp. ed. Sirmond. Tom. II. p. 543: „quique a Nicaeno concilio, quod primum in nostris codicibus, quos ab apostolica sede majores nostri acceperunt sequendos, per ordinem usque ad Africanum concilium pro canonibus recipiendis, venerandis et observandis retinent, et Innocentius, Zosimus, Bonifacius, Coelestinus, Leo, Hilarius, Symmachus, Gelasius, Hormisda, Gregorius et ceteri quique observandos canones nominant.“ Cf. ib. pag. 545.

****) Mansi Tom. XV. col. 397.

†) l. l. p. 76. Mansi Tom. XIV. col. 514.

appellet Romanum Pontificem, et ad eum, si libuerit, confugiat," optime quadrare cum Pseudoisidori figmentis, velut Fabiani ep. III, totamque illam Gregorii epistolam ad universos episcopos scatere ejusmodi sententiis, tamen, quum de fide ejus nihil constet, praestare arbitror, suspecto huic indicio plane abstinere. At, jam Hadriano decretales fuisse cognitae Eichhornius contendit, motus illa ejus ad Carolum M. epistola (Cod. Carol. n. 49.), in qua donatio Constantina commemoratur. Quum autem Blasci, Ballerini, Bieneri disquisitionibus satis demonstratum sit, documentum illud, fictum licet, antiquius tamen Pseudoisidoro esse, hoc quoque argumentum nullum est. Ultimum denique atque gravissimum fere indicium, quo Romana probetur decretalium origo, invenire sibi videtur Eichhornius in capitulis, quae dicuntur Hadriani vel Angilramni. Haec enim contendit esse excerpta ex Pseudoisidorianis decretalibus, inscriptionem autem eam veram et haud dubie genuinam esse statuit, quae Hadrianum ann. 785. dedisse illa capitula Angilramno testificetur, atque hoc modo antiquissimum decretalium illarum vestigium Romae exstare demonstrat. Manifestum profecto est, Angilramni haec capitula in definienda Pseudoisidoriani operis aetate et origine maximi esse momenti. Qui Romae illud et quidem saeculo octavo exeunte compositum esse malunt, ii his capitulis suam sententiam plane iam confirmatam esse existimant, qui autem Germaniae et medio saeculo nono decretales tribuendas esse putant, importuna illa sibi et vehementer molesta capitula submovere conantur, quamquam inscriptionem eorum suspectam et suppositiciam esse magis contendunt quam probant. Quamobrem nos nunc paulo accuratius inquiremus in haec capitula atque constituere studebimus, quae ratio intercedat inter ipsa et Pseudoisidorum.

Ac primum quidem quaeritur, num capitula Angilramni revera, quod et Eichhornio et plerisque aliis viris doctis placet, desumpta sint ex decretalibus? Id ego quidem nego, atque capitula fontem potius Pseudoisidoriani operis vel antiquiora certe esse censeo. Ante omnia enim animadvertendum est, argumentum complurium capitum plane discrepare a Pseudoisidoro atque contrarium fere esse, loquendi vero modos eos, qui proprii ac peculiare sunt Pseudoisidori, frustra quaeri in capitulis, si a duobus tribusve inter octoginta discesseris, quae quin interpolata sint, vix dubitari potest. Praeterea saepius Pseudoisidorus, ubi haurit ex illis capitulis, ad suos ea usus conformavit, atque hic illic, ut etiam alibi facere solet, quaedam addidit vel omisit; denique multa etiam capitula in decretalibus omnino desunt.

Quae omnia ut manifestissime patefiant, necesse mihi videtur, singula h. l. perscrutari capita *).

Cap. I. desumptum est ex Isidori Hispal. sentent. Lib. III. c. 39. Verba: Unde Propheta usque ad finem desunt apud Isidor.—Excerptum habes apud Euseb. ep. II. et Telesphor.

Cap. II. ex Conc. Aurelianensi V. c. 17, fine in brevius contracto aequae in Jul. ep. II. et Sixt. II. ep. 2.

Cap. III. sententiam Pseudoisidorianam continet, certe eam hoc modo ante decretales nusquam legimus expressam, et vero totum caput ab argumento et forma reliquorum capitulorum adeo abhorret, ut id spurium judicari sine dubio debeat. Etenim quamquam Cassiodorus in hist. trip. III. 9. 19. refert, „non debere absque sententia Rom. Pontif. concilia celebrari," tamen valde mihi suspectum in hoc cap. III. illud est, quod ad confirmandum tale Paparum jus citantur „venerandorum patrum decreta," quorum nullum ad nostra usque, exceptis Pseudoisidorianis, pervenit tempora. Item Pseudo-Julius in ep. I. fere eadem affert, simul vero affingit Papae jus damnandi episcopum, de quo in nostro loco plane nulla fit mentio. In Benedicti Capit. Add. IV. c. 24. item caput hoc legitur, sed sic inscriptum: Ex synodis Romanis cap. 49. et ex decretis Julii Papae. Quamobrem si certum jam est, subditivum hoc caput esse, incertum illud tantum haberi poterit, num id ab Hadriano Papa, an postea demum ab alio aliquo falsario additum sit. De qua re quamquam nihil pro explorato haberi potest nisi collatis codicibus quam plurimis, tamen jam nunc sententiam meam egregio codicis Trevirensis num. 1362. testimonio confirmare possum, qui codex praestantissimus saeculo X. scriptus post Reginonis collectionem Angilramni quoque capita continet, tertium vero hoc omittit.

Cap. IV. Cf. Conc. Constantin. I. c. 6., Chalced. c. 11., Tolet. VI. c. 11. Sententiae quaedam conveniunt cum Sixt. Pythag. sent. 5 et 156. Eadem invenies in Sixti I. ep. 1., Jul. ep. 2. c. 11, et Bened. Add. IV. c. 21.

Cap. V. Quamquam plane alia hujus capituli est ratio et forma, quam ceterorum omnium, — nam in his nunquam fons ullus indicatur, in illo contra synodus Romana citatur, haec breviter sunt et ad singulas singula res pertinent, illud vero tam multa tamque varia complectitur, ut decem fere aliorum capitum spatium expleat —, tamen ab interpolatore adjectum illud non existimaverim, vereque ad concilium

*) Utor editione capitulorum in Concilior. collect. Mansiana facta, Tom. XII. col. 904 seqq.

quoddam Romanum hucusque ignotum pertinere crediderim, verosimillimum enim est, Pseudoisidorum ex ipso conflasse partem epistolae II. Felicis I. Totum enim caput quintum in illam translatum est epistolam, paucissimis tantum mutatis verbis, nam pro eo, quod apud Angilramnum legitur: „tempore a canonibus praefixo Nicaenis*)“ apud Felicem scriptum est: „tempore congruo, id est, autumnali vel aestivo,“ scilicet quum Felix Papa, qui anno 275 mortuus est, canonem Nicaenum citare non posset, locus necessario mutandus fuit. Ceterum Bened. Add. IV. 17 plane congruit cum capite V.

Cap. VI. desumptum est ex Conc. Chalced. c. 17. Verba „aut apud Constantinopolitanae civitatis sedem“ Angilramnus sincere ex fonte descripsit, quae quum prorsus abhorreant a consilio Pseudoisidori, in epistolis Victoris, Julii et Felicis II. immutata sunt in haec: „aut penes universalis apostolicae ecclesiae Papam.“ Bened. Cap. Add. IV. c. 25. sic: Ex Concil. Chalcedon. c. 17.

Cap. VII. ex Cod. Theod. IX. 1. 19. Angilramnus scripsit: „canonicis decretis“ pro „legibus,“ et „si quis clericorum in accusatione pulsatus fuerit“ pro „quicumque in discrimine capitis arcessitur.“ — Eutyech. ep. II. concinit cum Angilr. Bened. Add. IV. c. 26. item, sed cum inscr.: Ex sexta synodo Romana cap. 9., cum qua et aliae sanctiones imperatorum et synodalia episcoporum concordant.“ Id. III. 436.

Cap. VIII. ex Interpr. Novell. Marciani (Neminem exhiberi) III. 1. (Bitter. p. 135.). — Eleuth. ep. I., Felic. I. ep. 1., Jul. ep. II. c. 25. Bened. Add. IV. 18.

Cap. IX. ex Conc. Constantin. I. c. 3. Angilr. initio addit: „Salvo Romanae ecclesiae in omnibus primatu,“ quae quidem verba mihi non genuina, sed fortasse jam ab ipso Hadriano Papa adjecta esse videntur. — Ben. III. 83.

Cap. X. Cod. Theod. IX. 1. 10 et 16. — Pseudoisid. in Stephan. ep. I. et Jul. ep. II. c. 32. addit in fine: „nisi ad apostolicam sedem fuerit appellatum.“

Cap. XI. Cf. 129. African. (Dionys.) et c. 8. ibid. — Excerptum hujus cap. habes in Jul. ep. II. c. 5. — Ben. III. 307. quadrat cum Angilr.

Cap. XII. petitum est ex epistola concilii Africani ad Coelestinum Papam (Dionys. c. 138). Pseudoisidorus hoc caput non recepit, nimirum quod contrarium ejus consilio esset amplificandi Paparum auctoritatem imminutis synodorum provincialium inprimis facultatibus.

Cap. XIII. excerptum ex Histor. tripart. VII. 12. — Zephyr. ep. II.

*) c. 5. Concil. Nicaen.

Cap. XIV. ex Statt. eccl. ant. c. 28. 23. — Hygin. addit initio: „Salvo in omnibus Romanae ecclesiae privilegio,“ et Luc. ep. I.: „Auctoribus sulti apostolica praecipimus . . .“

Cap. XV. Cf. Statt. eccl. ant. c. 96. — Stephan. ep. II, Felic. II. ep. I. c. 13. Ben. I. 393. Cf. supra c. IV.

Cap. XVI et XVII. Cf. Conc. Carth. II. c. 6. — Fabian. ep. III, Calixt. ep. II.

Cap. XVIII. Cf. Conc. Antioch. c. 22, Sard. c. 18. 19. — Interpr. c. 1. Cod. Theod. IV. 16. — Calixt. ep. II., Jul. ep. II. c. 6., Felic. II. ep. 2. c. 3. — Jul. addit: „Salva in omnibus apostol. auctoritate.“ — Ben. III. 308.

Cap. XIX. Cf. Cod. Theod. IX. 1, 10. — Fabian. ep. III. addit: „Salva apostol. auctor.“ et in fine: „nisi fuerit appellatum.“ — Jul. ep. II. c. 16. — Ben. III. 309.

Cap. XX. Cf. Gregor. M. ep. 84. L. I. ind. 9. — Jul. ep. II. c. 17 addit: „Salva apost. eccles. auctoritate.“ — Ben. III. 314.

Cap. XXI. Cf. African. c. 129 (Dionys.). —

Cap. XXII. desumptum est ex Act. Apostol. XXV. 16. — Excerpta habes in Steph. ep. I., Marcell. ep. II., Jul. ep. II. c. 31. — Ben. I. 392: „A sancta Romana et apostolica ecclesia olim statutum est et a nobis synodali sententia confirmatum, ut nullus . . .“

Cap. XXIII. est Hadriani quae dicitur epit. Sardic. c. 3 (Mansi, Tom. XII. col. 872). — Fabian. ep. III. — Ben. III. 315. Add. IV. 27.: Ex edictis synodalibus sub Theodosio imperatore decretis ejusque auctoritate roboratis.

Cap. XXIV. ex Cod. Theod. XVI. 2. 41. — Gaj. ep. I. et Sixt. ep. I. — Ben. III. 438.

Cap. XXV. Cf. Conc. Carthag. III. 26 et epit. Hadrian. c. 6 (Mansi XII. col. 876). — Cf. Anicet. ep. un. et Ben. III. 439.

Cap. XXVI. est c. 1 Cod. Theod. II. 18. — Eleuth. ep. un. et Jul. ep. II. c. 31 quadrant. — Ben. I. 400.

Cap. XXVII. Initium habes in Conc. Hispal. II. c. 6. — Ben. III. 320. Notandum est argumentum hujus capituli a Pseudoisidori consiliis plane alienum.

Cap. XXVIII. est c. 9. Conc. Chalced. — Ben. III. 321.

Cap. XXIX. Cf. Gregor. M. ep. 8. L. II. ind. 11. — Fabian. ep. III., Felic. II. ep. I. c. 17. quadrant. — Item Ben. III. 104.

Cap. XXX. cf. c. XVIII.

Cap. XXXI. desumptum est ex Leg. Wisigoth. II. 4. 7. et Cod. Theod. IX. 6. 3. Excerptum est in Melchiad. ep. I, Steph. ep. II. et III., Euseb. ep. III. — Ben. III. 322 plane quadrat.

Cap. XXXII. Interpr. Novell. Marcian. tit. 1. (Bitter p. 135). — Ben. III. 323.

Cap. XXXIII est Interpr. c. 12. Cod. Theod. IX. 1. — Ben. III. 324.

Cap. XXXIV. desumptum ex Interpr. Novell. Valentin. tit. XII. (Bitter p. 130). — Excerptum est in Fab. ep. III. — Ben. III. 240.

Cap. XXXV. ex ead. Novell. (Bitter p. 129); excerptum est in Fabian. ep. III. — Ben. III. 332.

Cap. XXXVI et XXXVII. ex Interpr. c. 2. 15. 20. Cod. Theod. XI. 30. — Fab. I. I. — Ben. III. 333.

Cap. XXXVIII. cf. Interpr. c. 15. Cod. Theod. IX. 1.

Cap. XXXIX. Pauli sentent. recept. III. 4. 2. — Ben. III. 346.

Cap. XL. est c. 2. Cod. Theod. IV. 16. — Excerptum habes in Jul. ep. II. c. 34., Fab. ep. III. — Ben. III. 347.

Cap. XLI. Fons incertus. — Calixt. ep. II., Fabian. ep. III, Steph. ep. I. — Ben. II. 341. III. 348.

Cap. XLII est epitome Hadrian. c. 7. Sardic. (Mansi XII. col. 872). — Jul. ep. II. c. 21. — Ben. III. 349. Add. IV. 12.

Cap. XLIII est inscr. c. 8 Carthag. in Dionys. coll. — Ben. I. 187. Add. IV. 13.

Cap. XLIV est Interpr. § 1. Paul. rec. sent. V. 35. — Ben. III. 357. Add. IV. 14.

Cap. XLV. translatum ex Conc. Carth. III. c. 10. — Lucii ep. I., Jul. ep. II. c. 22. — Ben. I. 404. II. 300. III. 121. Add. IV. 15.

Cap. XLVI. Cf. c. 35. Can. Apostol., Conc. Antioch. 13. 20. 9. — Lucii ep. I, Calixt. ep. II, Jul. ep. II. c. 23. — Ben. III. 358. Add. IV. 16.

Cap. XLVII. haustum e c. 13 Conc. Carth. I. — Ben. III. 359.

Cap. XLVIII. ex inscr. c. 14 ejusd. Conc. Carth. I.

Cap. XLIX. excerpt. ex Interpr. c. 2. 3. Cod. Theod. X. 10. — Ben. III. 360.

Cap. L. excerpt. ex Interpr. c. 1. 9. Cod. Theod. IX. 34. — Ben. III. 361.

Cap. LI. est Interpr. c. 5. Cod. Theod. IX. 1. — Fab. ep. III. — Ben. III. 364.

Cap. LII. excerpt. ex Interpr. c. 11. 10. Cod. Theod. IX. 1. — Fab. ep. III. Ben. III. 365.

Cap. LIII. est c. 30 Statt. eccl. antiq. — Felic. I. ep. I, Jul. ep. II. c. 24. Ben. II. 363. III. 219.

Cap. LIV. est c. 58 Statt. eccl. ant. — Felic. II. ep. II et Jul. ep. II. c. 33 non quadrant. — Ben. I. 399. —

Cap. LV. excerpt. ex Hist. trip. II. 2. — Ben. II. 403.

Cap. LVI. excerpt. e Constit. Sylvestri (Mansi T. II. col. 624).

Cap. LVII. est Interpr. c. 1. Cod. Theod. IX. 40. — In Zephyrin. ep. I., Felic. I. ep. 1 et Jul. ep. II. c. 26 additum est: „quam apostolica freti auctoritate, aut reum . . .“ atque praeterea nonnulla mutata sunt. — Ben. II. 308. III. 170.

Cap. LVIII. plane convenit cum c. 28 Statt. eccl. ant. — In Felicis et Julii epistolis citatis hoc quoque post antecedens legitur caput, unde apparet, Angilramni his capitulis Pseudoisidorum usum esse. Utrumque caput ab Angilramno, ut solet, sincere ex ipsis fontibus est desumptum, Pseudoisidorus autem alterum suo more interpolavit et mutilavit, alterum integrum recepit. — Ben. II. 398.

Cap. LIX. Fons erui non potuit. — Ben. III. 366.

Cap. LX. Fons item incertus. — Fabian. ep. III. — Ben. III. 367.

Cap. LXI. petitum e c. 13. Concil. Carthag. II. — Ben. II. 304. III. 158.

Cap. LXII. est c. 75 Conc. Eliberit.

Cap. LXIII. est c. 52 ejusd. Conc. Elib. — Ben. II. 316. III. 368.

Cap. L IV. translatum ex inscr. c. 4 Concil. Tarracon. — Ben. II. 318.

Cap. LXV. ex inscr. c. 11 Concil. Tolet. I. — Ben. II. 319.

Cap. LXVI. ex inscr. c. 12 ejusd. Conc. Tolet. I. — Ben. II. 320. III. 213.

Cap. LXVII. est c. 1 Leg. Wisigoth. II. 4. — Euseb. ep. II. Eutyech. ep. III., Felic. ep. II. c. 15. — Ben. II. 397. III. 369.

Cap. LXVIII. desumptum est ex Interpr. c. 12 Cod. Theod. IX. 1. — Dionys. ep. II., Jul. ep. II. c. 18.

Cap. LXIX. est c. 2 Conc. Tolet. VIII. — Fabian. ep. III. — Ben. II. 323. III. 221.

Cap. LXX. Priorem hujus cap. partem habes in Sixti Pythag. sent. 174. et in Calixt. ep. II. — Ben. III. 372.

Cap. LXXI. Cf. Sixti Pyth. sent. 250. — Ben. III. 373. — Vid. c. 55. —

Cap. LXXII—LXXIV ex Constit. Sylvestri c. 3. 14. 15.

Cap. LXXV. Fons incertus. — Marcellin. ep. II. — Ben. III. 115.

Cap. LXXVI. excerptum ex Histor. trip. X. 6. — Calixt. ep. I., Marcellin. ep. II. — Ben. I. 402.

Cap. LXXVII. Cap. incertum. — Ben. 122.

Cap. LXXVIII. est inscr. c. 28 Leg. Wisigoth. II. 1. — Calixt. ep. I., Marcell. ep. II. — Ben. I. 405.

Cap. LXXIX. excerptum ex epist. Procli ad Domnum Antioch. (Biblioth. PP. Paris. 1644. Tom. XV. p. 649). — Alexand. ep. I., Euseb. ep. I., Stephan. ep. II. — Ben. III. 374. —

Cap. LXXX. desumptum ex Conc. Tolet. VII. c. 1. i. fin. — Ben. II. 322.

Jam singulis hoc modo perlustratis capitibus meam de iis sententiam satis probasse atque munivissē mihi videor. Nonnulla vidimus capitula plane contraria esse argumento decretalium Pseudoisidorianarum, scilicet: c. VI. XII. XXVII. XXVIII; saepissime iis, quae excerpit ex capitulis, Pseudoisidorus peculiare quaedam affinxit formulas ipsis alienas capitulis, quod apparet ex iis, quae notavi ad c. III. V. VI. X. XIV. XVIII. XIX. XX. LVII. LVIII; multa denique capitula apud Pseudoisidorum frustra quaesiveris, scilicet: c. IX, XII, XXI, XXVII, XXVIII, XXX, XXXII, XXXIII, XXXVIII, XXXIX, XLIII, XLIV, XLVII, XLVIII, XLIX, L, LV, LIX, LXI—LXVI, LXXI, LXXVII, LXXX. — Cetera capitula aut totidem verbis a Pseudoisidoro recepta, aut paullulum in brevius contracta sunt.

Quodsi quis forte post haec concedere velit, Angilramni capita non esse desumpta ex decretalibus, negare autem a Pseudoisidoro adhibita, eum considerare jubemus, quam arcte utrumque opus cohaereat. Frequentissime Angilramni capita in decretalibus invenies ita excerpta, ut illa, quasi fontem, facile agnoscas (cf. c. XLV, XLVI et c. LVII, LVIII.), Fabiani ep. III. maximam partem ex iisdem composita est, quamquam inverso capitum ordine. — Quum autem et in reliquis fontes utriusque operis communes sint, canonum scilicet et decretalium genuinarum collectiones (Hispana, Quesnelliana, Dionysiana), leges Romanae, historia tripartita, lex Wisigothorum et cet., non sine jure jam ex hac causa colligitur, utrumque ab iisdem aut certe simili studio et labore conjunctis auctoribus esse conscriptum. — Sed quaenam est aetas capitulorum? Quis ea collegit? Codices omnes Angilramnum Metensem episcopum et Hadrianum Papam nominant, ipsaque tradita esse testantur Romae, quando pro sui (Angilramni) negotii causa agebatur*), quod quidem

*) Cod. Trev. cit.: quando pro suo statu causa habebatur.

factum est anno 785. In eo autem differunt codices, quod alii Angilramnum Hadriano, alii hunc illi tradidisse capitula testantur*). Hanc vero inscriptionem omnes fere viri docti, paucis tantum, velut Eichhornio et Theinero, exceptis, spuriam et fictam totumque opus Pseudoisidorianum esse existimant, quum nihil constet ex vita et gestis Angilramni, cur illa possint ad ipsum referri capitula, deinde quum primum ea cum decretalibus falsis citentur semperque in codicibus cum eis inveniuntur conjuncta ad confirmandas quasi et auctoritate aliqua muniendas Pseudoisidori sententias.***) Sed haec argumenta obstare mihi non videntur, quominus inscriptionem illam veram esse existimem, habet ea enim formam speciemque integritatis et fidei. Plurimi codices sic eam exhibent: „Ex graecis et latinis canonibus et synodis Romanis atque decretis praesulum ac principum Romanorum haec capitula sparsim collecta et Angilramno Mediomatriciae urbis episcopo Romae a beato Papa Adriano tradita sub die XIII Kal. Octobr. ind. IX., quando pro sui negotii causa agebatur“***). Etsi concedamus, unicum h. l. itineris illius negotii ab Angilramno Romae peracti exstare vestigium, neque certi quidquam hac de re posse definiri, tamen veram illam puto esse relationem, quum in priore inscriptionis parte ii enumerentur fontes, ex quibus, sicut supra demonstravi, revera auctor res suas collegit, quod quidem documentum integritatis sane gravissimum mihi videtur esse, ita ut omnes inscriptionis partes sinceris fideque dignissimas esse, jure meo concludere mihi videar. Nulla sane reperiri potest causa fingendi, et capitula ipsa propterea quod ex genuinis hausta sunt fontibus, jam per se auctoritatem, quantam decet, necessario adepti sunt, quam quidem haec inscriptio nullo unquam modo augere vel amplificare potuisset. Praeferenda enim mihi videtur esse ea lectio, quae Angilramnum Hadriano tradidisse capitula refert.†) Nam episcopi sane magis quam Papae

*) Cf. Theineri diss. cit. p. 31. seqq.

**) Vid. Richter I. l. p. 129.

***) Hinemarus Rhemensis archiep. in opusculo adversus Hinemarum Laudun. c. 24. fere eisdem verbis hanc inscriptionem ex suo citat exemplo. — In Cod. Trev. sic legitur: Haec capitula, quae sequuntur de accusatis et accusatoribus, ex grecis et latinis canonibus, ex sinodis romanis atque decretis praesulum ac principum romanorum in unum collecta et Angilramno mediomatrice urbis episcopo Romae a beato papa adriano tradita sub die XIII kl. octobr. ind. VIII quando pro suo statu causa habebatur. — Ferd. de Mendoza in not. ad c. 52 Conc. Illiberit. narrat, Adrianum papam collectionem decretorum e diversis conciliis graecis et latinis compilasse ad iudicium litis, quam ei Tharadius archiepiscopus Constantinopolitanus intendisset. (Mansi. Tom. II. col. 311.) Hac autem de controversia omnino nihil constat. —

†) Haec lectio comprobatur auctoritate codicum haud paucorum. Sane codex Vatic. 630, qui Balleriniorem sententia omnium antiquissimus est et capitula Angilramni subiecta falsis decretalibus continet, alteram exhibet lec-

intererat, leges et formam accusandi episcopos et clericos definiri; praeterea Hadrianus, secundum consilia et rationes illo tempore jam a Papis proposita, minime capitula illa VI, XX, XXVII, XXVIII, alia, nulla addita clausula, Angilramno tradidisset; ceterum ea omnia magis convenire videntur in Francicae ecclesiae disciplinam, quam in Romanae, et partim derivata sunt ex canonibus Hispanicis et Gallicanis aliisque fontibus*) in Francorum regno certe magis cognitae et usitatae, quam Romae. Neque tamen negare ausim, Hadrianum quaedam addidisse capita ex Romanis conciliis vel aliunde deprompta, qua de re supra jam disputavi (cf. c. III, V, IX). Ceterum non video, quam ob rem necesse sit credere, certam quandam et singularem fuisse in conditione et rebus Angilramni causam positam, cur traderet capitula Hadriano, vel argumentum eorum tale esse, ut prodesse possent auctori ad defensionem, quam Romae agebat.**)

Mihi contra longe est verisimilius, Angilramnum, quum venisset Romam, quaecumque fuerit veniendi causa, simul Hadriano illa, quae collegerat de accusationibus capitula proposuisse confirmanda et probanda. Denique quod ea saepius conjuncta inveniuntur cum decretalibus, mirum non est; utriusque enim operis quanta sit cognatio et necessitudo, neminem latet. Singularem Eichhornius praeterea profert (p. 198) de Angilramni vel Hadriani capitulis sententiam. Putat enim, nihil illa esse aliud, nisi secundam Hadrianeae, quae dicitur, epitomes partem. Continet enim haec epitome breviarium eorum canonum synodaliū, qui in collectione Dionysiana exhibentur, atque adscribitur Hadriano Papae. Quum autem Dionysius in opere suo decretales quoque receperit, mancā esse illam epitomen, non sine jure existimabimus, quia ea deest pars, quae decretales complexura erat. Quam quidem partem, huc usque desideratam, Eichhornius opinatur inveniri in ipsis his Hadriani capitulis, cujus iudicii ego idoneam causam desidero. Quamquam enim de aetate eorum consentio cum Eichhornio, tamen demonstrasse mihi

tionem. Hoc autem non multum valet ad impugnandam meam sententiam, quum neque de ceterorum codicum ratione et aetate quidquam certi constet, neque ipse ille codex, quamquam pertinet ad Nicolai I. aetatem, scripturae integritate excellat. Contigit enim, ut Gauppius, Vir Cel., qua est humanitate atque benivolentia, exemplum capitulorum Angilramni mihi utendum concederet, quod ipse, Romae quum esset, ex illo ipso cod. Vat. accuratissime descripsit. Ex hoc intellexi, non sane praestantissimum esse illum codicem et satis longe recedere ab ipsius Angilramni manu; nam et ommissa sunt nonnulla, quae quin genuina sint dubitari non potest, et saepe multa ita perverse spatiis numericis separata, ut vel alienissima conjungantur vel conjunctissima discerpantur.

*) e. g. Leg. Wisigoth., Interpr. Cod. Theodos. et cet.

**) Eichhornius e. g. dicit (p. 197): „Wenn Angilram dem Papst Auszüge aus Kirchengesetzen übergeben hätte, so müsste man an solche denken, welche das Gesuch, ausserhalb seiner Diözes am Hof leben zu dürfen, das er persönlich zu betreiben nach Rom gekommen war, unterstützen konnten. Ueber diesen Gegenstand kommt aber in seinen Kapiteln nicht ein Wort vor.“

videor, Angilramno potius, quam Hadriano capitula esse tribuenda. Et vero, etiamsi de Hadriano auctore concedere vellem, minime tamen cum epitome Hadrianea conjungi possunt capitula, quia diversa plane utriusque libri ratio est et natura. In epitome habes brevissimas sententias, excerptas illas servato ordine ex singulis conciliorum canonibus, indicato etiam in rubricis fonte; contra in capitulis non excerpta, sed ipsa invenis capita et decreta, non solum ex decretalibus, sed maximam partem ex aliis hausta fontibus, conciliis, jure Romano et cet.; neque hic certus ordo, neque ulla fontium mentio. Item epitome omnino sequitur Dionysianos conciliorum canones, in capitulis ne unum quidem caput ex Dionysianis decretalibus desumptum est; quid? quod ipsam etiam illam epitomen adhibitam in iis esse videmus. (Cf. c. XXIII, XXV, XLII). His motus argumentis hanc quoque Eichhornii sententiam probandam non esse arbitror.

Quae quum ita sint, satis demonstratum esse videtur, ex Angilramni capitulis nullum peti posse argumentum, quo comprobetur, aut ortas esse Romae decretales, aut certe cognitae fuisse ante Nicolaum Pontificem. Ceterum si meminerimus, ab Hadriano Dionysianam collectionem Carolo M., a Leone IV. eandem episcopis ecclesiae Britannicae datam esse, non additis Pseudoisidori mercibus, per multa sane obstare mihi videntur, quominus cum Eichhornio Romae confectas esse decretales existimemus.

Theinerus et alii hoc quoque probari Romanam originem putant, quod tot tantaque documenta, e quibus falsarius suas conflaverit decretales, non nisi Romae in promptu esse potuerint. Ipsi vero fontes in iis adhibiti manifesto non Romanam, sed Germanicam originem indicant, e. g. canones conciliorum Hispanicorum, Francicorum, Breviarium Alaricianum cum interpr. Aniani, epistolae Bonifacii Mogunt., atque eae, quae ad ipsum scriptae sunt (cf. Knust. l. l. p. 9). Qui autem negant, Germanum quemquam tanta illo tempore gavisum esse SS. Patrum scriptorumque ecclesiasticorum cognitione, quanta deprehendatur in decretalibus, ii profecto rei literariae Germanicae conditionem et indolem, quae erat saeculo IX, ignorare videntur. — Quod denique Theinerus, ut Romae vindicet decretales, multus est in exponendo argumento et sine Pseudoisidori, qui illi videtur auctoritatem Romani pontificis supra ruinam potestatis ceterorum ad summum evehere fastigium studuisse, quem quidem finem ait hominem ex Germania oriundum, quicumque demum sit, nullo unquam modo sibi proposuisse (p. 72), toti huic argumentationi nihil tribuo, quoniam tale fraudatoris consilium in decretalibus frustra

quæsiueris. Pseudoisidorus enim ecclesiam clerumque omnino emancipare studet a brachio saeculari, ipsamque et singula ejus membra Romano devincire pontifici, neque tamen ita, ut omni episcopi denudentur potestate, immo vero meliorem ii inde nacti sunt conditionem, quia et regum et archiepiscoporum et synodorum provincialium potestas ac jurisdictio non modice in ipsis decretalibus est coërcita atque imminuta. En causam, cur in Germania episcopus aliquis aut episcopalis dignitatis amicus, qui simul augendae sedis Romanæ potentiae studebat, id quod illo tempore in Francorum regno omnes paene clerici faciebant, facile in animum inducere potuerit, ut conficeret istiusmodi decretales!

Haec quidem sufficiant ad refutanda ea, quae de Romana decretalium origine disputata sunt. Quae autem Ballerinii, Möhlerus, Knustius de Francia et quidem de Moguntia, Pseudoisidoriani operis patria, protulerunt, tam evidentia mihi videntur esse atque indubitata, ut hanc quaestionem missam facere possim. Unum tantum addam. In Anacleti ep. I. c. 4 (Mansi. T. I. col. 605) cuique oppresso licentia datur appellandi sacerdotum iudicium. Pergit Pseudo-Papa, si causae difficiles ortæ fuerint, ad majorem sedem esse referendas, si vero illic facile discerni aut terminari non possent, ubi fuerit summorum congregata congregatio, quae per singulos annos bis fieri soleret et deberet, juste et Deo placite coram patriarcha aut primate ecclesiastico et coram patricio saeculari iudicanda esse iudicia in communi. — Hoc quidem loco agitur de mixto quodam iudicio et saecularis iudex patricius nominatur. Ad regem patricium Romanum, simul cum primate ecclesiastico jurisdictionem exercentem nullo modo haec vox referri mihi posse videtur, multoque minus ad veteres Romanorum patricios, sed haud dubie ad Burgundionum illum patricium, qui revera erat iudex saecularis, atque ita novum exstat indicium, quo Moguntia, locus Burgundionum regioni proximus, decretalium fabrica habeatur. In secunda Ps. Anacleti epist. c. 4 (Mansi, Tom. I. col. 612) iudices citantur, qui majores sunt comitibus, itemque de missis Ps. Julium, de senioribus Ps. Callistum loqui, jam Knustius monuit. De apocrisiariis vero sedis apostolicae, quos commemorari videmus, verba facere nolo, quum Romae ii certe usitati fuerint.

